

benignissimi Salvatoris in administrando sacramento, in quo mirabiliter divina misericordia elucet, necesse est ut ipsius Christi benignitatem et mansuetudinem erga peccatores, quantum fieri potest, imitetur. Ideo a S. Alph. (Prax. Conf. n. 2 seqq.) aliisque AA. inter munera confessarii primo loco **munus patris** recensetur. Hanc paternam caritatem sacerdos imprimis exercere debet erga illos poenitentes qui, multis peccatis infecti et vix ulla diligentia scrutandae conscientiae dolorisque excitandi praemissa, prorsus imparati accedunt. Ut enim sapienter loquitur Leo PP. XII (Bulla *Caritate Christi*, 25 Dec. 1825) de ratione cum hujusmodi hominibus tenenda: "Sacerdos, indutus viscera misericordiae Christi Jesu, qui non venit vocare justos sed peccatores, sciat *studiose, patienter et mansuete* cum ipsis agere."

Sed cavendum est ne haec paterna benevolentia cum poenitentibus piis, praesertim cum mulieribus, in affectum nimium, immo et periculosum, transeat. Quare cum hujusmodi poenitentibus confessarius caveat praecipue a sequentibus defectibus:

1^o Ne prohibeat quominus ad alium confessarium accedant, et, si quando accessisse advertit, ostendat id sibi gratum fuisse, neque inutiliter eos interroget a quo tempore confessi sint quasi velit scire num forte ad alium perrexerint. Immo, ut monet S. Alph. (Prax. Conf. n. 100): "Ipsis imponat ut aliquando apud alios confiteantur, praeterquam si quis esset valde scrupulosus, de quo prudenter timeat ne, si ad alium accedat qui ejus conscientiam ignorat, notabiliter esset inquietandus."

2^o Si accedit poenitens qui confessarium suum ordinarium relinquere velit, ne facile hoc consilium probet, sed tantum quando urgens causa, ex. gr. manifesta inscitia vel incuria vel imprudentia alicujus sacerdotis, hanc mutationem postularet. Secus enim magnum periculum est ne relictus confessarius offendatur, poenitentis vana libido foveatur, et novus confessarius brevi pro tertio deseratur.

3^o Ne nimium tempus terat cum devotulis, dum eas sinit colloquia otiosa vel ad confessionem minime pertinentia in confessionario instituere, frustra praeteritas culpas enucleate repetere, pluries absque necessitate singulis hebdomadis confiteri, etc. Ex his enim defectibus non tantum varia incommoda in ipsum confessarium derivantur (ut facile cuique prudenti patebit), sed ipsa communis existimatio sacramenti poenitentiae inter fideles minuitur; immo impiis occasio calumniandi praebet. Juxta S. Alph. (Prax. Conf. n. 148): "Generaliter loquendo, sufficet personis spiritualibus, praesertim scrupulosis, confiteri semel aut ad summum bis in hebdomada."

II. Insuper boni confessarii est se variis poenitentium condicionibus, indoli, necessitatibus, viribus spiritualibus, etc. ita attemperare, ut

omnes e sacramento poenitentiae quamplurimos fructus nanciscantur. De hoc amplissimo argumento agere supersedebimus. Nam quae doctrinam theologicam postulant, satis in variis locis praesentis operis, et praesertim in hoc tractatu de Poenitentia, explicavimus. Cetera unicuique suggeret naturalis prudentia, et personalis rerum spiritualium experientia. Utilissimum tamen erit attente pervolvisse aliquem ex iis libellis in quibus praxis cum variis poenitentium classibus tenenda fusius exponitur.

Inter antiquiores commendari merentur La Croix (Theol. Mor. l. 6. p. 2. nn. 1786 1932) (1) et S. Alphonsus (Praxis confessarii ad bene excipiendas confessiones). E recentioribus, confessarium sapienter informant pro regionibus nostris R. P. Aertnys (Theologia Pastoralis complectens practicam institutionem confessarii) et pro Foed. Amer. Statibus Dr. Gul. Stang. (Pastoral. Theology) (2)

CAPUT III.

DE ADJUNCTIS POENITENTIAE.

§ I. DE SUPPLENDIS DEFECTIBUS IN CONFESIONE COMMISSIS.

376. Ad tres classes reduci possunt defectus in confessione admissi: defectus qui ad valorem sacramenti pertinent, ut si confessarius absolvit sine jurisdictione vel debita dispositione poenitentis; — defectus aliud damnum tertio vel poenitenti inferentes, ut si non obligavit ad restitutionem debitam vel obligavit ad indebitam; — defectus qui neque valori sacramenti obsunt, neque ulli detrimentum afferunt, sed solum nocent integritati confessionis, ex. gr. omittingo interrogationes necessarias de numero vel specie peccatorum. (Lugo, disp. 22. n. 50) Quasdam regulas de singulis classibus dabimus.

(1) Egregium hunc tractum sub titulo "Confessionum audiendarum regulae practicae" separato libello edidit P. Car. Houze. S. J. (Lovanii, 1890)

(2) Plerique recentiores post S. Alphonsum (Prax. Conf. n. 2) recensent quatuor munera confessarii: patris nempe, medici, doctoris et judicis. Quid complectantur singula, facile unusquisque ex hoc Capite II colliget.

I. Quando error **pertinet ad valorem sacramenti**, varia est obligatio illum reparandi, prout inde ortum est grave periculum animae poenitentis vel non.

1° Si grave periculum ortum est (quod raro fiet), ex. gr. quia invalide absolutus est vel moribundus, letali peccato irretitus, vel poenitens qui forte jam nullam confitendi occasionem habebit, puta quia longum iter maritimum suscepturus est, confessarius per se tenetur sub gravi ad hunc defectum reparandum. Haec obligatio oritur ex justitia: nam confessarius tenetur ex ista virtute ad absolutionem rite dispositis impertendam (n. 366), ac proinde eandem habet obligationem ad absolvendum si forte advertit se, etiam inculpabiliter, huic debito non satisfacisse. Attamen, si defectus iste inculpabilis fuit, non tenetur confessarius ad eum reparandum cum gravi incommodo, quod contingere posset in infirmo rursus adeundo vel quaerendo poenitente cum aliquo infamiae periculo. (Ball. P. n. 845) Nulla autem timenda est violatio sigilli sacramentalis, si ratio nullitatis fuit defectus a confessario admissus. Nam poenitens invitus esse nequit quominus confessarius ei aperte dicat se in absolutione danda errasse: siquidem id unice in favorem poenitentis cedit, nec memoria peccatorum ullatenus refricatur. (S. Alph. n. 622) At si ratio nullitatis esset defectus poenitentis, ejus licentia petenda esset, quia invitus esse potest quominus hic defectus ei in memoriam revocetur. (Struggl. tr. 11. q. 3 n. 98)

Quodsi poenitens redeat ad confitendum penes eundem confessarium, is eum inducat tantum ut se iterum globatim accuset de peccatis in praecedente confessione declaratis et de iisdem iterum doleat; atque ita, etiam absque ulla monitione de invaliditate prioris confessionis, directe ab omnibus peccatis absolvetur. Non liceret tamen, nulla monitione vel nova confessione praemissa, iterum absolvere poenitentem qui post aliquod temporis intervallum iterum occurreret; nam cum potuerit novum peccatum commisisse, sacramentum temere periculo nullitatis exponeretur. (Lugo, l. c. n. 54)

2° Si nullum damnum poenitenti ortum est, puta quia bona fide absolutus est a peccato reservato quod cum aliis non reservatis accusabat, vel quia, post confessionem factam sacerdoti qui jurisdictione carebat, alii jurisdictione praedito confessus est, vel quia bona fide ad S. Communionem accessit, etc., recidimus in defectum tertiae speciei, ac proinde applicanda sunt quae (III) de hujusmodi defectibus dicentur.

377. II. Quando error cedit in **damnum tertii vel ipsius poenitentis**, obligatio illum reparandi differt pro duplici hypothesi sequente:

1° Si confessarius tantum *omisit monitionem*, etiam inculpabiliter, tenetur ad poenitentem postea monendum, ex. gr. de restitutione

facienda, de proxima occasione relinquenda. Unusquisque enim tenetur impedire ne ex sua actione vel omissione alii incitentur ad legem Dei vel Ecclesiae, etiam materialiter, violandam, et ne inde sequatur damnum tertii. Profecto qui culpabiliter hanc monitionem neglexit, ad eam reparandam cum majore incommodo tenetur quam qui eam absque gravi culpa omisit, ac proinde hic rarius quam ille tenebitur ad reparationem extra confessionem faciendam: quod semper satis notabile incommodum affert, neque umquam licet, nisi poenitens rogatus consensum dederit ut confessarius cum eo loquatur de auditis in confessione. Sed neuter tenetur ex justitia, nec proinde sub onere restitutionis, si ex omissione monitionis damnum tertio secutum est. Confessarius enim non est constitutus ut aliorum utilitatem curet, ac proinde omittens ex. gr. monitionem de restitutione, non omittit aliquid quod debeat creditoribus, sed solum quod debeat poenitenti ad bonum animae ejus. (Lugo, l. c. n. 67) Cfr. Vol. I. n. 545.

2° Si error confessarii contigit *actione positiva*, qua ex. gr. indebite solvit a restitutione, tenetur confessarius, etiam cum gravi incommodo, ad monendum poenitentem, sive intra confessionem, sive etiam extra confessionem, si non putatur reversurus ad eundem confessarium vel reversurus tantum quando factus sit impotens ad restituendum. Quodsi extra confessionem facienda est monitio, prius petenda est licentia poenitentis, ne lex sigilli violetur. Haec obligatio oritur e justitia, ideoque secum trahit onus restitutionis, si culpabiliter neglegatur: quod manifestum est ubi error hujusmodi fuit graviter culpabilis, cum confessarius tunc prorsus assimilandus sit consulenti furtum; ubi vero error inculpabilis fuit, patet ex dictis Vol. I. n. 513. Discrimen tamen aliquod est: nempe eum qui inculpabiliter hanc damni causam posuit, non teneri cum tam gravi incommodo ad monitionem faciendam quam si error fuisset graviter culpabilis. Eadem ratione solvendus est casus confessarii qui poenitentem ad restitutionem indebitam positive obligavit.

378. III. Quando error **nemini nocet**, sed tantum efficit ut aliqua lex Dei vel Ecclesiae, praesertim de materiali integritate confessionis, bona fide neglegatur, obligatio erroris reparandi differt praesertim prout poenitens ad confitendum redit vel non. Itaque:

1° *Si iterum confitetur apud eundem confessarium*, is debet defectum praecedentis confessionis supplere: siquidem in praesenti confessione, tamquam iudex, interrogare debet de iis, quae advertit a poenitente per ignorantiam omitti. (n. 361)

2° *Si ad eundem confessarium non redit*, satis probabile censemus, cum Suarez (disp. 32. sect. 6) et Ball. P. (n. 851), confessarium regula-

riter non teneri ad ullam monitionem faciendam extra confessionem. Ratio est: exiguam videri utilitatem in illa monitione, quae fiat tantum ne in sequentibus confessionibus materialis integritas violetur. Alter enim confessarius interrogabit poenitentem si is forte, ob errorem quo imbutus est, speciem vel numerum peccatorum declarare omittet, atque ita errorem ipse auferet. Insuper cum, ad talem monitionem faciendam, peccata gravia in memoriam revocanda essent, merito timeri posset gravis offensio poenitentis, etiamsi, ob licentiam ante petitam, sigillum intactum foret. Ideo non tenemur in praxi sequi sententiam S. Alph. (n. 620), qui admittit dari obligationem monendi etiam extra confessionem, quando confessarius positiva causa fuit ob quam poenitens integre confessus non sit.

Si confessarius errorem aliquem docuisset, in re quae non pertineret ad materiam sigilli sacramentalis, ex. gr. respondendo quaestioni quam poenitens occasione confessionis poneret, teneretur sicut quilibet alius ad errorem hunc corrigendum, dummodo id commode posset, ne alii occasio esset violandi materialiter legem aliquam, ex. gr. jejunii quod perperam negasset sequenti die adfuturum vel alicujus damni incurrendi, ex. gr. perversionis fidei e libro quem confessarius ex errore innocuum declarasset. In hoc altero casu, ubi esset periculum peccati formalis vel etiam plenae eversionis fidei aut morum, major ratio ad omittendam retractationem requireretur quam ubi nihil aliud timeretur nisi malum multo minus, vid. materialis legum transgressio.

§ 2. DE SIGILLO CONFSSIONIS.

Punctum I. De natura hujus sigilli.

379. NOTIONES. Sigillum confessionis est obligatio strictissima servandi secreti de omnibus quae in ordine ad absolutionem sacramentalem a poenitente dicta sunt et quorum revelatio sacramentum redderet onerosum vel odiosum. (Bus. ap. S. Alph. n. 634)

Obligatio haec juris divini est, ut fusius a Dogmaticis probari solet. Oritur enim ex ipso jure naturae, supposita institutione et obligatione confessionis auricularis. Nam, nisi talis obligatio sacerdoti incumberet, fideles metu revelationis peccatorum suorum vehementer ab usu hujus adeo necessarii sacramenti retraherent. Hinc patet finem illius legis esse bonum poenitentis et reverentiam sacramento debitam: ac proinde si finis hujusmodi adaequate cessat per expressum poenitentis consensum, cessabit ipsa lex. Hoc jus divinum urgent severisque poenis muniunt ecclesiasticae leges, praecipue celebre c. *Omnis utriusque*

sexus Conc. Lateran. IV. (Denz. n. 363): Qui peccatum in poenitentiali judicio sibi detectum praesumpserit revelare, non solum a sacerdotali officio deponendum decernimus, verum etiam ad agendum perpetuam poenitentiam in artum monasterium detrudendum. „ Poenae tamen istae non sunt nisi ferendae sententiae.

Violatio autem sigilli distinguitur duplex: *directa* et *indirecta*. Prior fit ab eo qui revelat ea quae secreto premere deberet; posterior, ab eo qui aliquid dicit, facit vel omittit, ex quo alius secretum confessionis arguere, divinari aut suspicari possit, vel ipse poenitens pudorem aut quodvis aliud gravamen propter suam confessionem subire cogatur. (Ball. P. n. 900)

380. ASSERTA. I. Obligatio sigilli nullam patitur exceptionem, ac proinde servanda est, etiamsi manifestatio secreti sacramentalis requireretur ad gravissima damna communia avertenda.

Ratio est: fideles amissuros esse plenam illam securitatem qua ad hoc sacramentum frequentandum indigent, si vel unica exceptio admitteretur. Nam praesertim ii qui graviora crimina admisissent, deterrentur ab iis confitendis, ne forte confessarius haberet jus ea revelandi ad avertenda gravia mala a republica vel a tertio innocente. (Lugo, disp. 23. n. 10) Cuilibet igitur bono quod per revelationem obtineri posset, praeponderat communis utilitas reipublicae christianae, quae omnem exceptionem tolli postulat.

II. Directa violatio sigilli nullam admittit parvitatem materiae. Nam, etiamsi levissimum peccatum veniale manifestaretur, gravis fieret injuria sacramento. Fideles enim maxime deterrentur a peccatis suis manifestandis, si scirent confessarium posse, saltem absque gravi culpa, revelare ea quae venialia tantum esse existimaverit.

In violatione indirecta potest quandoque admitti materiae parvitas, vid. quando res quae narratur talis est ut sit periculum aliquod ingerendi suspicionem alicui, sed adeo tenue ut non sufficiat ad imprudentiam gravem, nec ad gravem irreverentiam contra sacramentum.

In utraque violatione, ut in quolibet peccato, potest culpa fieri levis ob imperfectam advertentiam vel libertatem, ex. gr. si confessarius cum levi imprudentia narrat aliquam historiam, putans non agnoscere personam quae tamen agnoscitur, si praelatus fervore correctionis aliquod verbum acrius adjungit, cum inadvertentia veniali, ex notitia aliqua quam habuerat ex confessione. (Lugo, l. c. n. 69 seqq.)

Malitia hujus peccati praecipua est contra religionem, quatenus adversatur reverentiae sacramento debitae: quae malitia, saltem in directa revelatione, semper gravis est. Huic accedere potest duplex

malitia contra justitiam : altera propter violatum contractum silendi, qui tacite cum poenitente initus est; altera propter detractionem famae proximi. Sed haec quandoque prorsus aberit, ex. gr. si crimen jam est publicum; illa saltem levis esse potest. (Lugo, l. c. n. 16)

III. Non licet in materia sigilli sequi opiniones mere probabiles, ab ejusdem obligatione exinientes, sive haec probabilitas sit facti, ex. gr. quia prudenter dubitatur num aliquid ex confessione cognoscatur, sive sit juris, puta quia DD. dissident num aliqua actione violetur sigillum (S. Alph. n. 633)

Ratio potissima deducitur ex obligatione qua confessarius adstringitur vitandi quidquid vel minimum odium sacramento aspergere posset: hoc autem nequaquam vitaret qui secretum revelaret ob merum dubium facti, aut benigniores opiniones ab aliis, ob graves rationes, oppugnatas sequeretur. Ceterum AA. qui, ut La Croix (l. 6. p. 2. n. 1945), censent tantum *expedire* ut in hac materia a benignioribus opinionibus sequendis abstinemus, merito notant plerumque, quando speculative probabiliter tantum adest obligatio sigilli, certam legem obstare quominus confessarius scientia sua utatur propter contractum tacite inicum cum poenitente servandi secretum, vel propter scandalum quod passuri sint rudiores existimantes sigillum violari.

381. IV. Obligatio sigilli oritur ex omni et sola confessione quae fit in ordine ad absolutionem sacramentalem recipiendam: nam omni et soli hujusmodi confessioni aptantur rationes, quibus lex sacramentalis silentii innititur.

Ideo exurgit obligatio etiamsi confessio est sacrilega vel absolutio differtur, vel si sacerdos ab initio caruit animo absolvendi, aut poenitens vult hic et nunc tantum inchoare confessionem ut, post aliquod tempus, absolutionem recipiat etc. (Lugo, l. c. nn. 43 et 46)

Eadem non exurgit, quando ex dictis vel factis poenitentis constat eum confessum esse sine intentione se ad absolutionem disponendi, sed unice ad consilium petendum, ad eleemosynam obtinendam, ad furandum, ad pervertendum confessarium, etc. In his tamen casibus saepe aliunde aderit obligatio silentii servandi, ex. gr. ob secretum commissum, ubi consilium petitur, vel ad vitandum scandalum rudiorum, quando aliquis cum externa specie confessionis confessarium pervertere conatus est. Idem dicendum ubi secreta confessario manifestantur *sub sigillo confessionis* ab eo qui tamen nullatenus accedit ad absolutionem recipiendam; ac proinde violatio secreti ita commissi parvitatem materiae admittit et quandoque culpa vacat. (Vol. I. n. 432; Ball. P. n. 907 seqq.)

Non convenit omnino de casu quo poenitens bona fide confessus est ei

qui sacerdos non erat, vel sacerdoti nullam omnino jurisdictionem habenti. Exsurgere obligationem sigilli censemus cum communiori sententia (S. Alph. n. 647): confessio enim a poenitente fit in ordine ad absolutionem, ac proinde viget ratio plenissimae securitatis quam hujusmodi accusatio semper requirit. Pauci, quibus adstipulatur fere solus e recentioribus D'Annib. (III. n. 357), id negant, quia haec obligatio non oritur nisi e sola confessione sacramentali, neque nostra falsa existimatio rei veritatem mutat. At, cum subjiciat D'Annib. (l. c. n. 7) aequissimum esse eum qui poenitentem deceptit, vel decipi passus est, confessarii obligatione teneri, sive ex delicto, sive ex quasi-contractu, dissensus potius theoreticus quam practicus est.

Punctum II. Quas personas obliget hoc sigillum.

382. I. Haec lex primario adstringit confessarium, neque cessat mortuo poenitente. Igitur, si confessarius interrogatur de aliquo peccato poenitentis, potest et tenetur affirmare *se illud nescire*, addito etiam (si opus fuerit) juramento: haec enim non est nisi restrictio late mentalis, cum interrogans facile intellegat confessarium negare de scientia quam aliis communicare possit. Idem fieri potest si quis injuste urget et interrogat confessarium num etiam in confessione et non ut homo, sed ut minister Dei audierit haec peccata, vel eum adjurat ut sine aequivocatione respondeat. Nam etiam sic confessarius respondet secundum juramentum factum, quod semper factum intellegitur modo quo fieri poterat, nempe manifestandi veritatem sine aequivocatione, sed sine aequivocatione illa quae licite omitti poterat: quoad aequivocationem vero necessariam, quae non poterat omitti absque peccato, nec alter habet jus ut sine aequivocatione ei respondeatur, nec ideo confessarius tenetur sine aequivocatione respondere (S. Alph. n. 646) Poterit quandoque interrogationes declinare vel silentio vel increpatione interrogantis: sed cavendum est ne id faciat in iis adjunctis, in quibus, declinando clarum responsum, videretur interroganti consentire. (Lugo, l. c. n. 74)

Non licet confessario dicere se absolutionem non dedisse peccatori, etiam publico, qui falso jactaret se absolutum esse, vel etiam declararet sibi negatam fuisse absolutionem. Interroganti igitur num aliquem absolverit, respondeat: "Functus sum officio meo" vel "Quaenam interrogatio est ista quam facis?" Si quem vero non absolverit et, dum Missam celebrat, interrogetur a ministro num dicendum sit *Confiteor* pro communione istius poenitentis, respondeat: "Interroga ipsum num velit communicare." Quodsi aliquem absolverit, non est quidem contra sigillum id affirmare interroganti. Sed, ne periculum indirectae